CONSVLTATIO MEDICA

SVPER

MORBO SPASTICO

ADIECTA OBSERVATIONVM BIGA

DE

MORTIBVS SVBITANEIS

EX

PECTORIS ET CORDIS VITIIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

ANNVENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO SVMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA

HONORIBVS CONSEQVENDIS

D. XXIII. APRIL. MDCCXCI

IN PVBLICAM CENSVRAM PROPONET

IOANNES IOACHIMVS BVRMESTER

HAMBVRGENSIS

GOETTINGAE

TYPIS BARMEIERIANIS.

6

INCLYTAE

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

CIVITATIS HAMBVRGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS PERILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

FAVTORIBVS INDVLGENTISSIMIS
BENIGNISSIMIS

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

OMNI QVA PAR EST REVERENTIA

CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR

PROOEMIVM.

In animum induxeram, dum de ſcripto inaugurali cogitarem, de herpete commentari, argumento ob practicum momentum omni attentione digno. Verum tempus non ſuffecit eidem rite perſequendo, quum in patriam redeundi neceſſitas citius vrgeret.

Ideo, me petente, communicauit mecum medicus quidam celebratus huius vrbis conſultationem medicam ſuper morbo ſpaſtico, reſpondendi cauſſa miſſam, ſimul-

que obſeruationum bigam de mortibus ſubitaneis ex pectoris et cordis vitiis, annexis cadauerum ſectionibus. In his itaque vires periclitandae erant, tum ad priorem reſpondendo, tum poſterioribus epicriſin et explicationem cum corollariis adiiciendo.

LECTORES BENEVOLOS ſicut argumentis dignitatem, ita et labori aequum animum haud denegaturos eſſe, confido.

I.

CONSVLTATIO
SVPER
MORBO SPASTICO.

CASVS MORBI.

Virgo nobilis, annorum circiter octodecim, temperamenti ſanguineo phlegmatici; ſyſtematis neruoſi, temperamento ſuo analogi; fibrae autem ſolidae admodum irritabilis; corporis ſui ſtaturae toroſae, ſucculentae, ſatisque robuſtae, cum parentibus a pueritia ruri degere, ruralique frui ſanitate continuo fuit ſolita.

Patri ſuo, cui genius ſingularis, ſumma ſemper attentione, animoque meticuloſo

trepidante morigera extitit filia, omniaque anxie adhibuit, ne in eius indignationem incideret, atque obiurgationes, quas cane ac angue peius euitare moliebatur. Cum autem certo die ex improuiſo a patre aliquantiſper reprehenderetur, tali percellitur horrore, vt proſternatur ſubito, abolitis ſenſibus externis internisque, cum violenta et inuoluntaria muſculorum agitatione, qua tandem ceſſante, ſenſim rediit ſenſuum vſus, cum ſumma vero totius corporis laſſitudine et defatigatione.

Ab iſto itaque tempore nunc fere duobus annis praeterlapſis, male ſeſe habere virgo incepit noſtra, paroxyſmi frequentia et pertinacia increuerunt adeo, vt incaſſis omnigenis domeſticis remediis, parentes ipſa medicornm conſilia hoc in caſu capiendi cauſſa, in vicinam vrbem dimittere coacti fuerint, quibus ibidem collectis, omnes in eo conſentire viſum eſt, cauſſam morbi proximam conſiſtere in compoſita

ratione

ratione plethorae verae, ſolidorumque nimiae irritabilitatis, hasque ob indicationes, morbi curationem eſſe incipiendam a larga venaeſectione, eamque pro re nata repetendam: poſtea vero medicamenta adhibenda ſic dicta diminutiua, antiphlogiſtica, laxantia, diluentia, reſoluentia, iisque continuandum, donec ſanguinis quantitas ſatis diminuta, eiusque craſis inflammatoria, (quae aderat), penitus fuerit correcta, quibus impetratis denuo eſſe procedendum ad medimenta roborantia, neruina autiſpaſmodica, quibus ſolidorum robur reſtituatur, eademque a nimia irritabilitate praemuniantur.

Haecce curatoria methodus a medico ordinario omni ſtudio ſedulaque circumſpectione, medicamentis a materia medica eum in finem indicatis, diu ſatis fuit adhibita, eo etiam cum ſucceſſu, vt tandem per menſes aliquot penitus ſiluerit morbus, donec iterum, obortis grauibus animi pathematibus, erroribusque in diaeta commiſ-

ſis, priſtinam fere morbus induerit faciem, paroxyſmorumque numerus ac ſaeuities priorem acquiſiuerit ſtatum.

Notandum inſuper, nec haereditariam exiſtere diſpoſitionem, nec vllam vermium ſuſpicionem, morbumque nullam obſeruare periodum regularem. Spuma oris, digitorumque in manus contractio, epilepticis durante paroxyſmo familiare adeo phaenomenon, noſtro in morbo pariter abeſt. Menſtruatio regularis, omnesque functiones animales, vitales et naturales, apprime ſecundum naturae leges exercentur.

Quaeritur nunc, quo nomine hic morbus ſit deſignandus? quaenam eius cauſſa? curatio? prognoſis? et diaeta? quid habendum ſit de nuptiis remedio?

RESPONSIO.

Ad graues omnino et intricatos morbos, qui ſaepe bona quaeuis medicorum conſilia fruſtrantur, iſte pertinet, cuius hiſto-

riam

riam singulari accuratione dedit medicus interrogans.

Enodabo subnexas quaestiones ea animi contentione, quam rei grauitas monet. Est vero prima.

I. *Quo nomine iste morbus sit designandus.*

Ad neruosos conuulsivos referendus est, et a comitiali vix et ne vix quidem distat. Huius nempe signa characteristica, nimirum sensuum cum internorum tum externorum abolitio, vti et musculorum violenta et involuntaria agitatio, cum corporis prostratione clare leguntur in relatione morbi. Quae vero deficiunt phaenomena, os nempe spumescens, ac digiti in manus contracti, quamvis alias sueta in ipso insultu epileptico, minus tamen essentialia existunt. Ita nempe alia etiam et varia citra haec scenam epilepsiae, satis iamiam per se horrendam, ingrauescere interdum solent, quae ad characterem proprie non pertinent, sed vim potius et gradum significant. Alii alte subsi-

liunt iacentes, alii proni aut ſupini torquentur aliique rigent. Hi clamore horrido percellunt adſtantes, hi lotii aluique ſeceſſu foedantur, hi geniturae iacturam faciunt. Sic porro poſt inſultum mente alienantur varii, aut furioſi fere vires enormes edunt, imo ſibi aliisque vim violentam inferunt. Talem ſcenam ludere viſi ſunt ſaepius epileptici per plures poſt inſultum dies, ita fere, vt videre putes, quos a daemonibus obſeſſos pia antiquitas credebat. Lugenda eſt praeterea iſta totius corporis habitusque laſſitudo et languor, mentisque ac ingenii vacillatio et ſtupor, quibus grauior aut increbeſcens morbus interſtitia ſua implere ſolet. — Multiplex eſt morbi facies, ſed ſpecies eadem.

Ex defectu itaque iſtorum ac huiusmodi ſymptomatum in virgine nobili, mitiorem quendam gradum morbi concludo, ſimulque ex his aliisque mox determinandis ſpem ſalutis affulgere video. Eſt vero morbus hoc in caſu *ſympathicus*, oriundus quippe

quippe ab irritatione ſyſtematis neruoſi, delicatuli, quam terror effecit primum, et ſopitam, grauia deinde pathemata denuo revocarunt.

II. *Cauſſa.*

Praediſponentem inuenio in aucta ſenſibilitate et irritabilitate corporis ſuccipleni; *occaſionalem* vero ſiue proximam, quousque nempe ducit ipſa relatio morbi, in terrore iſto, cuius quidem gradum et effectum iſte praeciſe auxit fibrarum character. Idem fecit hicce character, dum a nouis animi pathematibus poſtea reſuſcitaretur morbus. Extant ſatis multa exempla epilepſiae, quam graues, iique vel ex inopinato irruentes, vel acriter aut diu rodentes affectus excitaverunt. Quae iam de cauſſis protuli, ſupponunt omnino, nullam adeſſe haereditariam diſpoſitionem, neque vermium vllam ſuſpicionem, neque menſtruationem turbatam; ita quidem prout hos fontes ipſa relatio negat.

Super-

Superſunt tamen, quorum indagationem res ſeria monet, vtrum nempe aliquid concurrat forſan ab exanthemate retropulſo, aut vlcere conſolidato, aut amore fruſtrato, vel clandeſtina forſan praeter naturam litatione. Potiſſimum vero vix ſupprimere poſſum ſuſpicionem ſubtilioris rheumatici aut arthritici irritamenti, cuius nempe frequentem in his morbis effectum obſeruatio docet.

III. *Ad curationem*

duae emergunt indicationes, ſi nempe ad filum relationis pro cauſſis agnoſcantur fibra nimis irritabilis ac ſenſilis, ſimulque irritatio ab animi pathematibus facta. Prior eſt, reuocare ad rectum legibusque naturae accommodatum gradum iſtum morboſum ſolidorum characterem; altera delere et fugare, quantum fieri poteſt inimicos quosuis animi affectus.

Priorem, quae medici officium propius concernit, perſecuti ſunt medici conuocati.

His

His quidem visa est haec indicatio poscere venaesectiones largas et repetitas; postea que alia medicamenta sic dicta diminutiua, antiphlogistica, laxantia, diluentia, resoluentia, iisque continuandum esse, donec sanguinis quantitas satis diminuta, eiusque crasis inflammatoria, (quam adfuisse testantur), penitus fuerit correcta; postea vero roborantibus neruinis et antispasmodicis robur restituendum esse.

Venaesectio in statu vere plethorico, quo primum morbi stadium notant medici, laudes merebatur quidem, nunc vero neque instituenda neque repetenda est, nisi pulsus plenus et durus percipiatur, vel ex aliis signis humorum abundantia tuto satis cognoscatur, aut insultuum vehementia vrgeat, nec vires tamen nimium sub intermissionibus langueant. Pari tantum in casu, magis tamen si impura colluuies abdominalis aut viscidum et infarctum delitescat, remedia ista diluentia, resoluentia et laxantia

con-

conuenient; ſin vero aliter res erit, nocebunt. Etenim ea omnia et ſingula remedia et auxilia, quae debitum corporis robur infringunt, iſta pariter, ſi perperam adminiſtrentur; irritabilitatem et ſenſibilitatem morboſam, ſicque morbi cauſſam augent.

Poſito verum iſtiusmodi abdominali vitio, optima profecto quaeuis efficient digeſtiua ex ſalium mediorum familia, vti et tartarus emeticus ſuſpenſa manu exhibitus, interpoſitis laxantibus aut emeticis, habita nempe ratione, quorſum vergant ſordes. Vires quas inſuper exſerunt emetica recte propinata, citra ipſam ſcilicet expulſionem crudioris fomitis, diapnoicae, antiſpaſmodicae et concutientes, auxilium promittunt.

Vti itaque poſitis ponendis recte adminiſtrarunt medici laudati methodum antigaſtricam, ita etiam nunc, poſita eadem conditione, iterum repetenta eſt eadem via. His vero remediis aliquantiſper pro re nata, haud tamen tenaciter continuatis, aut,

ſi

ſi methodus antigaſtrica non vrgeat, protinus, procedendum eſt ad remedia neruina, antiſpasmodica et roborantia. Haec quidem multiſaria ſunt, quarum pars melius, alia minus reſpondet cuiuis indiuiduali conditioni. Attamen ad hunc praeciſe caſum prae caeteris pertinent, Valeriana, decoctum ſaturatum foliorum viridium aurantiorum, quale ANT. DE HAEN et LOCHER commendant, aut oleum animale Dippelii, aut elixir acidum Halleri; porro, flores Zinci, vel quod his praeſtare videtur, magiſterium Zinci, neque minus antimonium crudum et dulcamara.

Balnea tepida, in progreſſu vero frigidiuſcula, toto corpori per horae quadrantem aut dimidiam, ſemel vel bis in die aut alternis diebus applicata, ſummopere laudanda ſunt. Protinus poſt egreſſum adminiſtretur lenis frictio, ac cubet aegra per horulam in lecto, vt lenis diaphoreſis ſequatur. Iſta balnea praecipue tepida, ſicut

et

et varia ex modo enumeratis remediis ſpem ſimul faciunt incidendi et educendi ſubtilioris irritamenti materialis, cuiuscunque ſit generis, quod ipſos neruos vellicat. Ita etiam ad hunc finem proficui ſunt fonticuli, aliaue vlcera artificialia.

Hancce methodum circumſpecte et pro vario morbi ſtatu varie adminiſtratam, ſaepe feliciter eradicare ſimiles morbos, teſtis eſt obſeruatio; niſi nimis altas iamiam egerint radices. Etenim poſt multos demum annos habitus inſanabilis euadit.

In rebelli vero pertinacia propinanda ſunt omnino et tuto quidem, opiata, ſed caute tamen et ſuſpenſa manu. Iſta tunc praeprimis omnem lapidem mouebunt, in auertendo paroxyſmo, quando exhibeantur ante imminentem paroxyſmum, quem ſaepe ſcilicet praecurſores ſatis mature nunciant. Ratio autem habeatur virium, ſicut etiam materialis cauſſae, in primis aut ſecundis viis haerentis.

Clys-

Clyſmata pariter proficua ſunt ex decocto florum chamomillae, adiecto opio aut aſa foetida aut caſtoreo, potiſſimum ſi aluus excitanda ſit, aut ſpaſtica ſtrictura relaxanda, aut congeſtio ex ſuperioribus deriuanda; in genere autem ſi ſigna quaedam nouum inſultum longiori paullo interuallo praecurrant.

Altera indicatio

de vitandis quibusuis inimicis affectibus, iubet diſtrahere animum aegrae, ad laetiora quaeuis deflectere, amica conuerſatione, ludis laboribusque illum exhilarantibus occupare. Etenim aduerſae et obſcurae quaeuis vel de ipſo morbo eiusque euentu cogitationes, corporis animique validae contentiones, affectus, terror praeprimis, ira et triſtitia plus deſtruunt, quâm vlla ars reſtituere valet,

IV. *Prognosis*

ex caussa morbi, et ex numero, duratione et vehementia paroxysmorum, vti ex gradu valetudinis in interstitiis insultuum deducenda est. In haereditario morbo spes fere nulla foret, in hoc vero sympathico spes affulget. Scilicet emendari potest, vtvt saepius contingit, morbosa ista sensibilitas et irritabilitas; videtur pariter irritamentum, si quid adsit materiale, artis auxilia haud superare; neque minus animi curam ipsi familiares habere possunt; denique habitum infelicem nondum induit morbus.

Praeterea vero bona signa, quae citiorem reconvalescentiam promittunt, colligantur, si praecursores paroxysmorum sentiuntur, hique ab extremitatibus, instar afflati frigidi aeris, incipiunt; si caput non laeditur grauiter; si mitescunt aut rariores euadunt insultus; si breui post redit aliqua mentis serenitas et corporis vigor, et sic porro; mala e contrario. Citra haec bonis

nis auguriis adnumeretur, ſi forſan in progreſſu medelae exanthema effloreſcat, aut arthriticus dolor, aut abſceſſus, aut febris intermittens oboriatur, quibus quippe ſubſidiis ipſa natura curam morbi ſuſcipit interdum.

V. *Diaeta.*

Ex alimentis conueniunt, quae facile concoquuntur, neque nimis parce, neque abundanter nutriunt. Regnum vegetabile meliora ſuppeditat. Carnibus modice veſcatur aegra et reiicienda ſunt praecipue pingues, ſalitae ac fumo induratae. Exulent quaeuis irritantia et calefacientia cum in cibo tum in potu, aromata itaque, coffea, chocolata, cereuiſia generoſior, thea etiam ob relaxationem. Vinum pariter vitandum eſt, niſi quod in ſtatu ſummae laſſitudinis hauſtulus propinetur.

Denique

VI. *Matrimonium*

ſpem quidem facit recuperandae ſanitatis,

ſed auſcultandum eſt antea, quid iuuet methodus medica. Obſeruatio hoc reſpectu varia et dubia eſt. Sanauit has, nocuit illis. Spes interim ex hoc remedio maior erit, ſi forſan amoris deſiderium eluceat, ita vt mens ipſa, inique hucvsque affecta, nullo alio ſubſidio ad laetiora, deflecti queat.

Adnexa.

Abſoluta nunc reſponſione ad propoſitas a medico quaeſtiones, ſilentio praeterire non poſſum annotationem ex litteris priuatis, quibus familiaris quidam caſum morbi comitabatur. A ſe nempe et reliquis familiaribus notatum eſſe per anni decurſum, aegram bis quouis menſe correptam eſſe inſultu, idque in primo ſemper et vltimo lunae quadrante. Matrem ideo praenoviſſe ſemper nouum inſultum. Hoc reſpectu itaque reſtringendam eſſe medici referentis narrationem, *morbum nempe nullam obſervaſſe periodum regularem.*

Puduit

Puduit forſan egregium medicum, in ſententiam abire de influxu lunae in corpus humanum, vel etiam ita diſplicuit haec doctrina, vt attentionem periodorum neglexerit. Etenim pertinet iſta ad haereſes litterarias, quarum aſſeclam ſeſe facile profitetur nemo. Pertinet apud multos quaſi inter aſtrologica commenta, aut iſta ſaltem redolere videtur, quibus ſcilicet expurgatum demum eſſe ſaeculum noſtrum gaudemus.

Interim haec tota doctrina reducenda eſt ad ſolam experientiam, quum nudum ratiocinium hic efficiat fere nihil. Illud vnicum tantum ratiocinium valere aliquid videtur tamen, lunam nempe, quae maris fluxum atque refluxum certo certius efficit, vires pariter habere poſſe vti in reliquam terrae ſuperficiem eiusque atmoſphaeram ac tempeſtatis mutationes, ita etiam in ea quae ex terra creſcunt, et in animantia, quae eaedem ſtrictiſſimo vinculo nexa ſunt.

Audiat modo, qui dubitet, audiat inter alia teſtimonia, quae de imperio lunae in tempeſtatum mutationes indeſeſſo ſtudio ex propria et commodata fida obſeruatione 50 annorum collegit Cel. TOALDO in diſſ. praemio ornata a ſoc. litt. Monſpelienſ. germanice verſa, *Witterungslehre für den Feldbau.*

Verum ex partibus medicorum lunae reſpondentes morbos, et praeciſe quidem epilepſiae invaſiones firmare ſtuduit Cel. RICH. MEAD in tractatu *de imperio ſolis ac lunae.* Circa nouilunium et plenilunium praedicere potuit inſultus. Imo in puella quotidie fere epileptica, notauit pater, dum epilepticus clamor filiae noctu illum expergiſceretur, in vicino fluuio Thameſi maris ſemper refluxum. ARCHIBALD PITCAIRN nouit plures epilepticas feminas, quae ad normam mutationum lunae inſultibus tentatae ſunt; duasque puellas quas pari lege chorea Viti vexabat. Th. BARTHOLINVS men-

mentionem iniicit puellae epilepticae maculis nonnullis in facie notatae, quorum ambitus et color lunae phafibus refpondebant. Sic etiam GALENI placitum eft, *regit luna in epilepticis periodos.* De dieb. crit. Lib. III, et confummati VAN SWIETEN, epilepfiam chronicam circa magnas lunae mutationes, aut circa nouilunium et plenilunium infultus facere folitam effe. *Comment. T. III. p. 400 edit. Bat.* In Bibliis facris epileptici nominantur lunatici. *Matt. 4, v. 24. 17, v. 15.* quorum morbum veram epilepfiam fuiffe elucet Marc. 9, v. 18. Luc. 9, v. 39.

Citra epilepfiam vero in variis aliis morbis lunae influxum notauerunt medici, inter quos nomina celeberrima. E. g. in verminofis pathematibus ROSENSTEIN; in febribus intermittentibus WERLHOF; in cura ftrumarum DE HAEN; in hydrope varii. In quibusdam praeterea et fingularibus morbis teftes funt fide digni. Ita obferuauit

 GVILL.

Gvill. Mvsgrave *in phil. Transact. 277.* viri cuiusdam exemplum qui a pueritia usque ad annum vigesimum quartum haemorrhagiam ex sinistro pollice passus est, idque in quouis plenilunio, in prima aetate ad vncias quatuor, post annum vero decimum sextum, ad libram dimidiam. Baglivivs notauit iuuenem fistula stercoracea afflictum, ex qua copia effluentium cum luna crescebat et decrescebat. Tvlpio innotuit vrinae suppressio quauis fere plenilunio. Mead iterum calculosos affectus circa plenilunium redire vidit.

Noui praeter hos medicum huius vrbis, praeiudicio non occupatum, qui in epilepsia, vermibus, hydrope, calculosis affectibus aliisue luculentum a longo iamiam tempore obseruauit lunae imperium. Vberius hocce argumentum pertractauit idem medicus in *Hannöv. Magaz. ann. 1781 foll. 8 et 9.*

Caete-

Caeterum mihi notum eſt, quod in contrarium proferunt multi, ſpecie et certo pondere non deſtitutum argumentum; ſcilicet ſaepenumero in his aliisue pathematibus non obſeruari lunae influxum, imo contrarium in his notatum eſſe haud infrequenter. Aut etiam horum morborum inuaſiones pluribus diebus ita vacillare ante aut poſt lunae mutationes, vt his adſcribere velle, ſumme dubium euadat.

Verum velint ponderare, qui contrarium tuentur, numeroſiſſimam eſſe cauſſaram intra et extra corpus aegrotantis cohortem, quae lunae influxum aut tollere aut imminuere valent. Nonne enim ſuperior erit ſaepius in morbo, cauſſae materialis praedominans efficacia, aut animi affectus potentia, aut errorum in diaeta vis nocens, aut corporis indoles, aut denique quaeuis alia cauſſa nocens, accidentalis?

Interim libera cuiuis eſto opinio. Attamen negare quemuis lunae in noſtrum

corpus influxum, idque ſine habita forſan obſeruatione; illum potius ad praeiudicia, figmenta et ſuperſtitionem reducere velle, nefas eſſe videtur omnino. Auſcultet antea, qui negare aut affirmare velit, naturae vocem.

II.

OBSERVATIONES DVAE DE MORTIBVS SVBITANEIS EX PECTORIS ET CORDIS VITIIS.

Vir generoſus, aetate vltra quinquageſimum, ante annum circiter peripneumoniam paſſus erat. Ex ea nondum ſatis reconualeſcens, iter ſuſcepit hyberno tempore, ſatis frigido et auſtero. Senſit ille ab iſto tempore, per octo aut nouem menſes,

ſes, ſcilicet ad nouum vsque morbum exitialem, dolorem preſſorium dextri lateris cum aſthmatica interdum oppreſſione. Egit interim ſua officia, inter quae ſub dio ſaepius auſtera et pluuioſa tempeſtate vſus eſt. Nunc vero incidit decimo circiter a primo morbo menſe, in catarrhalem indiſpoſitionem, qua in dies aucta, febreque, haud tamen vehementi, aſſociata, ita pectore oppreſſus eſt paucis diebus, vt ſpiritum ſubinde vix trahere poſſit. Pulſus, quod ſuetae obſeruationi in peripneumonica valetudine aduerſatur, neque durus plenus aut inflammatorius erat, ſed mollis et debilis. Expectoratio nulla erat, neque tuſſis vexabat nimium. Cum interim in pectoris morbis pulſuum aliqua vacuitas et debilitas non ſemper venae ſectionem contraindicet, quoniam ſubinde copia collecti in pulmonibus ſanguinis in extremis inopiam quandam inducat; ſimulque in hoc aegro, vel ex anteacto morbo ac dein continuo pectoris dolore, occultum ibidem vitium, et nunc

praeciſe

praecise, suborto nempe nouo pectoris pathemate, eius exacerbationem suspicari fas erat, sanguinisque a pectore deriuandi ratio vrgebat, vena secta est. Sed parce prodiit sanguis lentus. Caeterum etiam ea adminicula administrata sunt, quae congestionem a pectore abigere, febrem moderare, expectorationem promouere, aluumque laxare valebant. Sed quinto die vespere lectum petens, quo hucusque non semper vsus erat, mox sensit tale oppressionis in pectore incrementum, vt hora prima post mediam noctem surgere coactus fuerit. Decubuit nunc in ipso solio cubiculi, sella inuersa instar puluinaris vtens, famulumque inuitum dimisit. Sed ecce, hora tertia reuertens famulus mortuum inuenit egregium virum. Medici, protinus accessiti, tentarunt quidquid ars iubet ad reuocandam vitam, sed incassum.

Elapſo altero die ſectio defuncti iuſtituta eſt, teſtibus cum officialibus tum rogatis.

Suetae maculae cadauerum liuidae conſpicuae erant, inciſisque pectoris et abdominis integumentis pinguedo apparebat in abdomine vnum et dimidium pollicem craſſa, paullulum tenuior in pectore. Vix vero tranſciſſa ſymphyſi cartilaginum cum coſtis, vi prodiit ex pectoris cauo dextro liuidae aquae copia, ac ſublato nunc ſterno, hocce cauum multa aqua vndique repletum apparuit ad libras fere quatuor. Variis locis dexter pulmo pleurae accretus erat. Verum ſiniſter tota ſuperficie firmiſſime adhaerebat externo thoraci, vt remoueri ab ipſo vix potuerit. Quare in hoc cauo nullus aquae locus. Pericardium vero iuſto maiori copia ſui fluidi diſtentum. Cor ipſum, flaccidum fere et molle, dupla ratione ſuetum volumen ſuperabat, pari ratione auricula vtraque, harumque dextra,

vti et ventriculus dexter copiosissimo sanguine repleti. Sed omnes parietes cordis tenues ac debiles erant, citra naturae leges, ita vt in praemagno corde capacissimae essent cauitates omnes. (Huic similis obseruatio legitur in BONETI *sepulchreto* T. I. p. 527). Ventriculus ac sinus sinister sanguinem fere habebant nullum. Verum in dextro ventriculo apparuit polyposum concrementum, planum, vnum et dimidium pollicem latum, ac pollicis quadrantem crassum.

Integra vero pectoris cauitas in relatione magni corporis sat angusta erat, quum diaphragma ad quartam usque costam ascendebat.

Abdominis cauo aperto, hepar visum est, quamuis sanum, iusto tamen maius, vesica fellea autem nimis parua. Omentum, parca pinguedine refertum, paruum, ventriculum modo, colon et superiores intestinorum

rum gyros tegebat, nuda atque aperta maxima inferiore parte. Caeterum superiora abdominis viscera pari ratione altius sita erant, qua ipsum diaphragma.

Epicrisis.

Mortis subitaneae caussam, quae scilicet morbi vltimi effectum longe profecto superabat, ita deducendam esse censeo. Prior morbus peripneumonicus quem ante decem circiter menses perpessus erat defunctus, vitia pectori intulit, concretionem scilicet pulmonis, sinistri praecipue, cum pleura, nec non initia hydropis pectoris. Iter deinde nimis mature, austera tempestate susceptum, auxit, suppressa simul forsan expectoratione, pectoris vitium, angustiam et hydropem. Haec conditio, nunc grauia impedimenta iecit sanguinis per pulmones circulo. Sed accedit insuper cordis ipsius vitium, quod nempe, quo maius eo debilius erat, aegre omnino sufficiens moli sanguinis, quam recipiebat,

cipiebat, per pulmones, aut accretos, aut aqua ambiente oppreſſos, premendae. Tandem ad vltima acta erant omnia, dum epidemica tunc temporis catarrhalis valetudo reſpirationem nouiter opprimebat. Nunc ſcilicet tantis impedimentis inſufficiente cordis virtute exigua, ſimulque polypoſo iſto concremento ſanguinis tranſitui forſan mechanice oppoſito, ſtetit cor et circulatio, aucto nempe obſtaculo, auctoque virium lapſu.

III.

Vir iuuenis vigeſimum ſextum annum agens, ſatis robuſtus et vegetus, ſed abvſum ſpirituoſorum ſibi indulgens, in peripneumoniam incidit. Symptomata ſueta erant, lateris dolor, tuſſis, febris remittens, cephalalgia, artuumque laſſitudo; praeter ſolitam morbi naturam nullum. Tertio die curru vectus eſt in noſtram vrbem, ſtragulis decumbens ac bene tectus, quo melius curatio adminiſtrari poſſit. Quarto die, hora ſeptima veſpertina, praeuia anxia inquietudine in epilepticum inſultum incidit, clamans enormiter, ſpumeſcens, cum inuoluntaria ſimul artuum agitatione ſenſuumque abolitione. Medicus et chirurgus acceſiti protinus, inuenerunt illum, dum loquela rediret, mente vacillantem, ſed dimidia vix hora elapſa, eiusdem iterum compotem. Querebatur nihil niſi leuem ſatis dolorem preſſorium lateris ſiniſtri. Pulſus paruus iam erat, paullulum ſpaſticus,

ſatis-

ſatis tamen tranquillus. Huiusmodi motibus quondam tentatum iamiam fuiſſe teſtabatur, ideoque non adeo mirum videri potuiſſet, hos redire febre ſuborta, in potatore praecipue. Verumtamen attentionem excitavit, mouitque ſuſpicionem inſolitae ac ominoſae conditionis. Etenim neque febris hucusque vrgebat nimium, neque bilioſum irritamentum excedens apparuit, neque hoc reſpectu aliud quidpiam, quod ad peripneumoniae indolem pertinet. Quare alias acceſſorias cauſſas ſuſpicari fas erat. Interim hoc temporis momento vix aliud peragendum erat, niſi ſpaſticam conditionem relaxare, ſicque nouis inſultibus obuiam ire; neque minus applicata in extremis irritatione, vim nocentem, quantum fieri poſſit, ab internis repagulis ad externa euocare; interea vero auſcultare morbum, vt ex phaenomenis vlterius pateat vti cauſſae indoles ita medendi ratio. Itaque moſcho proſpectum eſt ſpaſmis, ac ſuris applicata ſunt protinus veſicatoria lata. Sub initium morbi ſecta iamiam erat vena, et

nunc

nunc quidem si iterum secare voluisses, strictis vasis et algentibus extremis vix prodiisset sanguinis copia. Eo pariter tempore emesis excitata fuit ad indicationem, cui iterum in hoc discrimine locus non erat; prout neque balneo tepido.

Sed ecce, antequam vlteriori auscultationi copia, aliisve adminiculis tempus et ratio dabatur, rediit hora nona nouus, priori similis, quamuis mitior, spasticus insultus, editoque clamore actisque profundis suspiriis exspirauit aeger. Latus corporis sinistrum multis et latis statim maculis rubicundo coeruleis notatum apparuit. Facta sunt, vt debet, absque temporis dispendio, quaeuis ad vitam reuocandam pericula, sed frustra. Custodia nunc data, lecto calido relictus est exspiratus.

Sectio cadaueris altero post mortem die instituta sequentia edocuit. Pulmonem vtrumque firmissime adhaerentem thoraci, vt absque dilaceratione separari non potu-

erit, ponderoſum; ſiniſtrum profundiore colore nigricantem; utrumque vero intus atro et ſpumeſcente cruore repletiſſimum. Simul apparuit in ſiniſtro verſus ſpinam dorſi vomica, ad nucis iuglandis magnitudinem, haud tamen aperta, praeterea in eadem pectoris cauitate ſex circiter unciae effuſae aquae, huiusque pulmonis hydatides varii.

In ſinu cordis dextro in conſpectum prodiit polypoſum concrementum planum et rotundum, ad ambitum duplicis floreni, craſſum quadrantem pollicem, ſatis in ſubſtantia tenax, filamentoſum ac membranaceum. Obtegebat praeciſe introitum in ventriculum dextrum.

Abdominis viſcera ſana atque illaeſa videbantur.

E p i c r i ſ i s.

Multa ex hac ſectione colligenda ſunt ad explicationem mortis inſolitae ac ſubitaneae. *Primo* quidem, ſtatus inflammatorius

torius et peripneumonicus pulmonum, quorum vterque atro ſanguine repletiſſimus erat; *ſecundo* aquae collectio in ſiniſtro thorace; *tertio*, vniuerſalis fere et firmiſſima concretio pulmorum cum pleura; *quarto*, vomica et hydatides. Haec omnia effecerunt, vt ſanguinis per pulmones tranſitus ad ſummum impediretur.

Etenim pulmo vndique adglutinatus impediebat, quo minus ſatis libere expandi et comprimi potuiſſet, adeo laedebatur reſpiratio ſimulque ſanguinis tranſitus. Iſta vero adglutinatio deriuanda eſt vel ex pectoris morbo olim perpeſſo, vel vitae ratione diſſoluta, ac ſpiritus frumenti abuſu. Vomica, quae caeterum ortum habuit ex ſimili cauſſa, auxit omnino vti et hydatides peripneumoniam; et aqua inſuper preſſit pulmones. Tandem ſub acceſſu ipſius novae febris peripneumonicae, pulmones, ſatis iamiam vitiati, ad ſummum usque infarcti et oppreſſi euaſerunt, vt ſanguinis per

eosdem tranſitus, quidquid moliretur natura auxiliatrix, iſtare debuerit.

Iam vero videtur natura, ad vltimum vsque vitae diſcrimen redacta, hos ipſos motus epilepticos, quibus copia profecto erat in potatore, axiliandi ſcopo excitaſſe. Ita enim vltimos collegit vires, vt, vehementiſſimo facto ad pulmones impulſu, infarctus ſolueret, et impedimenta vinceret. Paria tentamina erant clamores et ſuſpiria. Verum inuicto obſtaculo haec praeciſe auxilia fruſtranea fatum accelerarunt. Aucta nempe de nouo cruoris accumulatione et infarctu, nullo praeterea naturae auxilio ſuperſtite, fractisque ex enormi tentamine viribus, ſuccubuit natura; ſtetit itaque in pulmonibus circulatio, et ferrea moriendi neceſſitas irruit protinus.

His inſuper addidiſſe omnino videtur aliquid concretio iſta polypoſa, in ſinu cordis dextro reperta, quae praeciſe introitum in ventriculum pulmonalem obtegebat.

bat. Poſſet quidem obiici, hanc nihil contuliſſe ideo, quoniam hicce ventriculus vti et pulmones ſanguine repletiſſimi contrarium doceant; ſcilicet, tranſitum ſanguinis ex ſinu dextro in ventriculum dextrum haud fuiſſe impeditum.

Verum ſolui poſſe videtur iſta difficultas ita; nempe in vltimis demum epilepticis motibus, aucta in internis circulatione et accumulatione, auctaque cordis actione, impactum eſſe concrementum illud in introitum ventriculi. Nunc vero adaucta ſub epilepticis motibus vti in pectore ita et in encephalo ſanguinis copia, et impedito eius ex capite refluxu, continuata tamen arterioſi ſanguinis propulſione, apoplexiam tandem ſuperueniſſe.

Aliud dubium ſupereſt: annon forſan poſt mortem demum concrementum illud in ſanguine coagulatum et formatum fuerit. Fateor me ipſum hanc ſententiam ſequi malle, niſi indoles eius filamentoſa et mem-

branacea et tenacitas, obſtarent. Etenim quum in quouis fere demortuo ventriculus ſiniſter vacuus ac dexter repletus inueniatur, poteſt omnino in hac ſanguinis ſtagnantis copia, potiſſimum vero poſt morbum inflammatorium, ſerum coagulari. Docent praeterea numeroſae obſeruationes, quarum plures repeti poſſunt ex Boneti *ſepulchreto*, frequentiſſimos polypos cordis, aut hos pſeudopylopos, in dextra cordis parte praecipue in aſthmaticis aut peripneumonicis repertos eſſe. *Tom. I. pag. 528. 562. 563. 591.* et alibi. Idem praeciſe docet haec vtraque in hoc ſcripto propoſita obſeruatio.

Facilis itaque eſt omnino fallacia polyporum, praeprimis in dextra cordis parte, eorumque tantummodo fabrica et indoles veram naturam polypoſam docere poteſt.

COROL-

COROLLARIA QVAEDAM.

I.

Nemo quidem dubitat, quantam vtilitatem habeant cadauerum ſectiones ad praxin medicam. Interim magis vrget ſectio in morbis inſolitis, aut ſi quis in ſolito morbo, praeter ipſam morbi naturam ſub inſuetis ſymptomatibus vel ſubito extinguatur. In eiusmodi caſibus ſemper fere luculenter reuelatur mortis ratio, ex quibus ſaepius lux accenditur, niſi pro vniverſa oeconomia animali, tamen pro ſimili caſu.

II.

In his, qui vel ſub pectoris chronica valetudine, vel in peripneumoniae aut pleuritidis primis ſtatim diebus, antequam ſolitum decurſum abſoluerint, ſubito et ſub inſuetis phaenomenis moriuntur, in his aut pulmonum aut cordis ominoſam ac inſolitam conditionem ſuſpicari fas eſt: ſcilicet vel vomicam ruptam, intusque effuſam; vel cor praemagnum; vel polypum in corde dextro; vel arterias eiusdem oſſeas; vel pulmones vndique adglutinatos ſummeque infarctos, et ſic porro. In his itaque, ſi fieri poteſt, inſtituatur ſectio.

III.

III.

Quicunque vero citra pectoris anteactam valetudinem inopinato extinguuntur, frigentibus antea extremis, pulsuque vacuo pallidoque colore, edito praecipue in vltimo articulo clamore, in his suspicanda est haemorrhagia interna; scilicet vel ex rupto aneurysmate; vel corde rupto; vel corde vlcere eroso, cuius exempla van Swietfn *allegat in serenissima coniuge ducis Brunsuicensis, et in nobili quodam viro, subito extincto.* Comment. T. II. pag. 271. *In his iterum sola lux repetenda erit ex sectione.*

IV.

Denique famae suae cura iniungit medico, vt in omnibus mortibus subitaneis, quae citra morbi naturam accidunt, sectionem

aut

aut ſuadeat aut inſtituat; vt nempe ex demonſtrata praeternaturali mortis cauſſa, quamlibet ſuſpicionem grauioris in medela erroris a ſe deuoluat. Quem in finem curet ſimul, vt cognati aut familiares, ſimulque teſtis peritus, vnus alterue, candidus et equus, ſectioni adſtent.

THESES

THESES MEDICAE.

I. Ignominiam apud foeminas honoratiores innuptas fere vnicam agnofco infanticidii cauffam.

II. Purgatio primarum viarum, fi fordes praefto fint, praecipuum medici officium in principio cuiuscunque fere morbi eft.

III. Quod epilepfia infantes et fexum foemineum faepius quam reliquos afficiat, huius cauffa in iftorum maiori fenfibilitate et irritabilitate latet.

IV. Vermes inteftinorum et fanitas perfecta vna confiftere in corpore humano nequeunt.

V. Optima herpetum diuifio eft illa, fecundum cauffam materialem.

VI. Si herpetem phlyctaenofum excipiam, vix alia herpetum fpecies contagiofa eft.

VII. A matre prolem lactari falubrius eft, quam a nutrice.

VIII. Depreffio cataractae extractioni, paucisfimis cafibus exceptis, longe eft poftponenda.

IX.

IX. Nullum discrimen inter arthritidem et rheumatismum.

X. Vermium seminia nobis congenita sunt.

XI. Caussa phrenitidis latet in praecordiis.

XII. Studio medico initiandus qui animum affert, spernentem linguas eruditas, lectionem veterum, theoreticas disciplinas, vel oscitantius easdem tractantem, et suo ingenio et eruditione sensibus parabili contentum: eheu iste agyrtarum et iatroaliptarum potius quam medicorum numerum augebit, nec vnquam nisi proprio suo iudicio adspirare ad magni medici nomen potest. Superbire vero sua ignorantia, aeque impudens est et insanum, quam scientia quauis vacuum gloriari de doctrina praeclara velle.